IACOBUS A VORAGINE. NOMINA HERBARUM. SERMONES. VITAE SANCTORUM
1. Hälfte 14. Jh. Seite 103r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26568
Copyright: Admont, Benediktinerstift



6.

103

prius scivit incarnacionis consilium quam omnes angeli
excepto gabriele hec omnes de xij. tribus qui obtule
runt munera ad dedicacionem huius altaris sed quid ob
tulerunt illi xij. principes qui libet obtulit tria aceta
bulum argenteum phyalam argenteam utrumque ple
num simile conspersum oleo martariolum aureum ple
num incenso. Primo vasculum argenteum designat
virginem mariam que est plena et similia propter candorem
innocencie sed conspersa oleo propter dulcorem divine gracie
Secundum vasculum argenteum designat christi humanitatem
cuius corpus conspersum similia propter refulgentem refulgen
ciam corporalis puritatis. Sed comparatur oleo propter ex
cellenciam mentalis suavitatis. Tercium vasculum
quoque quod fuit aureum designat christi divinitatem que comparatur
auro propter decoris immensitatem sed dicitur incenso plenum
propter delectacionis multiplicitatem. quia ex diversis
rebus aromaticis incensum illud fiebat. unde
nullus umquam deo placuit nisi qui ista vascula deo obtu
lit. Quidquid enim homines precesserunt christi passionem per
sacrificia sua regni celestis aditum invenire non
potuerunt quia ista vascula non fuerunt fabricata.
et ideo divinam propinacionem si obtinere volumus
ista vascula in conspectu suo offeramus. Quod nobis
prestare dignetur ipse christus.